

M0011648: Isidore: Etymologiae, 1472

Publication/Creation

December 1950

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kv4tmdsq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

vertitur. Nam sanies non fit in quocunq; loco. nisi vbi sanguis aduenerit. quia omne quod putrescit nisi calidum & humidum fuerit. quod est sanguis putrefieri non potest. Sanies autem & tabes sibi differunt. Fluere enim sanie viuiorum est. tabe vero mortuorum. Cicatrix est obductio vulneris naturalem colorem partibus seruans. dicta quod obducatur vulnera atque obcecat.

De. Remedijs & medicaminibus

Ca. viii.

Medicine curatio non est spernenda. Meminimus enim et esaiam esechie languenti aliquid medicinale mandasse. & paulus apostolus thimotheo modicum vinum prodesse dixit. Curatio autem morborum tribus generibus constat. farmacia. quam latini medicamina vocant. chirurgia quam latini manuum operationem appellant. manus enim apud grecos ciro vocatur. dieta quam latini regulam nuncupant. Est enim obseruatio legis & vite. Sunt autem omni curationi species tres. Primum genus dieticum. Secundum pharmaceuticum. Tercium chirurgicum. Dieta est obseruatio legis ac vite. Farmacia est medicamentorum curatio. Chirurgia est ferramentorum incisio. Nam ferro exciduntur. que medicamentorum non senserint medicinam. Antiquior autem medicina herbis tantum & succis erat. Talis enim medendi usus cepit. deinde ferro & ceteris medicamentis. Omnis autem curatio. aut ex contrariis. aut ex similibus adhibetur. Ex contrariis ut frigidum calido vel humido siccum. sicut et in homine superbia sanari non potest nisi humilitate sanetur. Ex similibus vero sicut ligamentum vel rotundo vulnere rotundum. vel oblongo oblongum apponitur. Ligatura enim ipsa non eadem membris & vulneribus omnibus. sed similis simili coaptatur. que duo etiam ipsa adiutoria nominibus suis significant. Nam antidotum grece latine ex contrario datum dicitur. Contraria enim contrariis medicine ratione curantur. At contra ex simili ut pigra. quod interpretatur amara. quia gustus eius amarus est. Ex conuenienti enim nomen accepit. quia amaritudo amaritudine morbi solui solet. Omnia autem medicamina ex propriis causis habent vocabula. genera enim dicta quasi diuina. Arteriaca quod apta sint gutturis meatui et tumores faucium & arteriarum leniant. Tiriaca est antidotum serpentinum. quo venena pelluntur. ut pestis peste soluantur. Cartiaca grece latine purgatoria dicuntur. Catapodia eo quod modicum potetur seu inglutiantur. Diamoron a succo more nomen sumpsit.